

**DE MONUMENTIS AD  
ODYSSEAM  
PERTINENTIBUS CAPITA  
SELECTA. DISSERTATIO**

Published @ 2017 Trieste Publishing Pty Ltd

ISBN 9780649350803

De monumentis ad Odysseam pertinentibus capita selecta. Dissertatio by Iohannes Bolte

Except for use in any review, the reproduction or utilisation of this work in whole or in part in any form by any electronic, mechanical or other means, now known or hereafter invented, including xerography, photocopying and recording, or in any information storage or retrieval system, is forbidden without the permission of the publisher, Trieste Publishing Pty Ltd, PO Box 1576 Collingwood, Victoria 3066 Australia.

All rights reserved.

Edited by Trieste Publishing Pty Ltd.  
Cover @ 2017

This book is sold subject to the condition that it shall not, by way of trade or otherwise, be lent, re-sold, hired out, or otherwise circulated without the publisher's prior consent in any form or binding or cover other than that in which it is published and without a similar condition including this condition being imposed on the subsequent purchaser.

[www.triestepublishing.com](http://www.triestepublishing.com)

**IOHANNES BOLTE**

**DE MONUMENTIS AD  
ODYSSEAM  
PERTINENTIBUS CAPITA  
SELECTA. DISSERTATIO**



6  
T

DE MONUMENTIS  
AD ODYSSEAM PERTINENTIBUS  
CAPITA SELECTA

---

DISSERTATIO INAUGURALIS

PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILIELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE IX M. MAII A. MDCCCLXXXII

HORA XII

PUBLICICE DEFENDET

SCRIPTOR

**IOHANNES BOLTE**  
BEROLINENSIS

---

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT

IOHANNES FRANKENBERG CAND. PHIL.

ARMILIUS THOMAS DR. PHIL.

IOHANNES VOLLEBT CAND. PHIL.

---

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUILIELMUS PORMETTER

MDCCCLXXXII

**ALEXANDRO CONZE**

**CAROLO ROBERT**

**S**

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

Vertical line on the right side of the page.

Cum constituerim exponere de artis Graecae et Romanae monumentis, quae ad Odysseam spectant, non prorsus eadem ratione rem mihi aggrediendam esse existimo atque viro, qui in colligendis atque explicandis artis operibus, quibus Thebanas et Troicas fabulas illustrarunt veteres, post Tischbeinium, Inghiramium, Rochettium summa sollertia et iudicio est versatus, Iohanni Overbeck. Nam is cum sicut Inghirami singulos carminum Homerorum libros secutus monumenta, quae ad unumquemque pertineant, enumeret, quod ipsa rei natura videtur commendari, Welcker (AD 5,222. 224<sup>1</sup>) hunc ordinem utilem quidem et commodum esse animadvertit, plus tamen conferri ad recte cognoscendam artis historiam, si singula genera artis distinguantur, ita ut, quid statuarii, quid sarcophagorum fabricatores, quid scalptores, quid vasorum pictores praestiterint in reddendo carmine heroico, brevi conspectu appareat. Sed sic quoque novae oboriuntur difficultates. Quis enim acriter disiungenda putaverit diversa artis genera, cum anaglypha et picturas antiquissimas arte inter se conexas esse reputet, cum gemmarum imagines haud paucas ex statuis desumptas esse animo consideret? Itaque mutato Welckeri consilio amplius monumentorum, quae ad Odysseam referenda sunt, numerus ita nobis digerendus videtur esse, ut in unum componamus, quae eadem aetate confecta sint, atque exemplaria, quae ex vetustioribus typis postea prodierunt, his singulis adnectamus. Ordiamur igitur ab operibus, quibus primum Ulixis errores scalpro et penicillo expresserunt artifices, tum quae inde a bellis Persicis in componendis imaginibus nova invenerint Graeci, perenseamus, denique quae post Alexandrum Magnum Graeci ac Romani in hoc genere praestiterint, nostrum erit enarrare.



## I. ULIXES POLYPHEMUM EXCAECANS.

Graecorum ars qualis fuerit temporibus antiquissimis, quibus ex initiis ad illam altitudinem summopere semper admirandam succreverit, acrius et felicius explorari tum demum coeptum est, postquam monumentis, quae proximis potissimum annis ex Graeciae solo feraci necdum satis perscrutato sunt eruta, virorum doctorum animi ad illam aetatem conversi sunt, de qua Graeci ipsi fabulosa tantum neque inter se congruentia nobis tradiderunt. Cum igitur multa scitu dignissima, in primis quo tempore quibusque locis varia vasculorum illorum terrenorum genera confecta sint, dubitationibus adhuc sint obnoxia, quas mox solum iri speramus, id tamen nunc constat, diu simul duo genera picturae maxime diversa in Graecia floruisse: alterum, quod *geometricum* vocari assolet, quod ornamenta praebet ex lineis rectis et orbibus composita admixtis interdum animalibus, alterum ex Asia oriundum, cuius ornamenta foliis plantarum velut palmae, loti, roseae similia sunt. Ad hoc genus *orientale* quod dicitur pertinent antiquissima monumenta, quibus fabulae heroicae effinguntur, catinus Camirensis<sup>1)</sup>, quo Menelaus Euphorbum ab Hectore interfectum defendens repraesentatur, opera caelata aerea, de quibus nuper egit Furtwaengler<sup>2)</sup>, duo artificia ad *Κυκλώπειαν* spectantia.

E quibus priore loco nomino (A) vas et pictura et inscriptione insigne, quod ante hos duodecim annos Caere effossum nunc Romae in Museo Etrusco Capitolino asservatur. Edidit Ricardus Foerster *Monum. d. Inst. IX 4. Ann. 1869, 157*<sup>3)</sup>. Est crater argillae sufflavae, cuius forma ipsa summam antiquitatem indicat, cum similem pede tamen paulo altiore tantum vasa quaedam geometricis ornamentis inducta<sup>4)</sup> praebent. Figurae fusco colore depictae sunt, ornamenta albo, coma ravo, vernice non adhibita; lineamenta

<sup>1)</sup> Salzmänn *Nécropole de Camiros* 1875 tab. 53.

<sup>2)</sup> *Die Bronzefunde aus Olympia* p. 91 sqq. (*Abh. d. Berliner Akad.* 1879.)

<sup>3)</sup> Cf. Matz *Bull. d. Inst.* 1869, 249.

<sup>4)</sup> *Ann.* 1872 tab. K 2. 19. *Mon.* IX 40, 1.

crasso penicillo ducta, non ut in vasis Corinthiis antiquis stilo insculpta. In altero latere conspiciuntur duae naves<sup>5)</sup>, quarum in constrictis milites stant vibratis telis pugnam inter se commissuri; alterum praebet quinque viros nudos barbatos, qui a sinistra parte in dexteram rapido cursu progredientes longam hastam vel palum in caput hominis humi sedentis manuque hastam illam corripientis admovent. Polyphemum ab Ulixē excaecatū effingī primo obtutu perspicias; tamen quis quinque illorum virorum specie et habitu non diversorum nominandus sit Ulixēs, facile dubitaveris. Foerster quidem l. l. p. 160 eum, qui Polyphemo proximus stat, intellegit, nulla alia ratione ductus quam quod etiam in vasculo picto Nolano, de quo statim dicam, primum Ulixēs obtineat locum. Sed hoc argumentum non omnino certum esse cum mox apparebit, tum videtur ultimum militem non procedentem sicut ceteros, sed retro versum ac pede sublato innitentem hastae ideo delineavisse pictor, ut accurate Homeri verba exprimeret, qui de Ulixē Od. ε 382 haec: οἱ μὲν μοχλὸν ἰλόντες ἑλλάϊνον, ὄξυν ἐπ' ἄκρω,  
ὄφθαλμῷ ἐνέρεισαν· ἐγὼ δ' ἐφύπερθεν ἀερθεῖς  
δίωκον.

Quam rem si quis inde explicet, quod apte ille seriem virorum claudere voluerit, quia nunquam in reliquis vasis pictis ratio habita sit eius rei, libenter concedo, maxime cavendum esse, ne artifices antiquos ad verbum poetarum fabulas reddere studuisse credamus, qua in re diu erratum est a viris doctis; tamen ut in effingendo Ulixē pictorem nostrum Homericum carmen in animo habuisse existimem, etiam alia re moveor; pono Polyphemum enim in palo affixu sest corbis, quem iam Foerster ad cratem, in quo Cyclops caseum siccabat<sup>6)</sup>, iure rettulit.

Iam intellecto imaginis argumento ut de tempore quaestionem instituamus, craterem multo minore artificio confectum esse quam vasa Corinthia, quae inter antiquissimas fabularum heroicarum effigies numerari solent, docent ornamentorum et corporum formae rudiores. Antiquioris quoque aetatis est, quod corpora hominum non tota fusco colore obducta sunt, sed facies linea tantum cir-

<sup>5)</sup> Alterius navis formam rostro acuto munitae a Phoenicibus Graeci videntur accepisse. Cf. Hirschfeld et Graser *Ann.* 1872, 168. 178. Furtwängler *Ann.* 1880, 127. Alteram LBruna *Jahrb. f. klass. Philol.* 122, 642 ἄκαιον vel ναῦν στρογγύλην nuncupat.

<sup>6)</sup> Od. ε 219 ταρσοὶ μὲν τυρῶν βριθον.

cumscrip̄ta est; quod fiebat, cum lineis scalptis oculum, aurem, comam significare nondum sollemne esset<sup>1)</sup>. Quamquam Foerster quidem haec non antiquae artis indicia autumat, sed corruptae (*rozsezza e negligenza studiata*) et vas multo serius, saeculo opinor ante Chr. quarto vel tertio, factum putat ad exemplar antiquius. Sed utinam ne homines illa aetate, cum arte nondum adulta in delineandis corporibus humanis ignari rectae membrorum compositionis ac normae saepius peccarent, dummodo quid vellent manifeste exprimerent, idem sensisse opinemur atque nos, qui agrestes formas et motus veritatem egressos intuentes ad rium moveamur vitiiis illis scilicet extemplo perspectis<sup>2)</sup>. Quod clarius elucebit, ubi primum vasorum antiquissimorum fragmenta quaedam nuper felici ac liberali Schliemanni industria Mycenis eruta<sup>3)</sup> comparaveris, quae Foersteri nondum nota erant: eadem non modo pingendi ratio et staturae humanae formatio, verum etiam ornamenta inter figuras dispersa et casses capulique clavulis suffixi. Etiam vasa Melica a Conzio anno 1862 in lucem protracta multa habent quae cum nostro concinant; omnium autem simillimum esse asserit Furtwaengler *Die Bronzefunde* p. 45 vasculum ineditum musei Monacensis n. *JA1*, quod quo loco effossum sit non constat. Huc adde morem antiquissimum, quo gladii Ulixis et sociorum eius sub ipsis alis cincti sunt, quem in aliis vasis pictis eiusdem aetatis deprendis velut in amphora praegrandi musei Berolinensis nuper in monte Hymetto reperta. Craterem ergo Caeretanum priscae artis Graecae monumentis adnumerabimus, qualia etiam saeculo quarto vel tertio confecta esse certa ratione nondum est demonstratum. At extremum Foersteri argumentum, quo omnem dubitationem de tempore vasculi tolli existimabat, adhuc praetermisi, sumptum ex verbis quae supra Polyphemum inscripta sunt **ΠΟΛΥΦΗΜΟΣ**. Offendebatur vir doctissimus non tam nomine vascularii, quod raro ante saeculum quintum appictum invenimus, quam forma litterarum ΕΙΞ, quae cum ab alphabeto Corinthiorum antiquissimo differant, posteriore aetate exaratae videantur esse. Quo autem iure, quaeso, contendit a Corinthio figulo vasculum depictum esse, cum a reliquis vasis Corinthiis litteratis, quorum plurima Caere effossa sunt, et formam et picturam

<sup>1)</sup> Cf. Fuchstein *Arch. Zeig.* 1881, 245<sup>ff</sup>.

<sup>2)</sup> Cf. Petersen *Jahrb. f. klass. Philol.* 123, 484.

<sup>3)</sup> Schliemann *Mykenä* 1879 p. 153.